

Ecula, imo compactam iniuriarum dissiparet, per quam eunq̄ qui Tyro subditi sunt, superbiunt. Quodque intulit, & dehonefata omne quod gloriosum est super terram, non dominus dehonefamenti auctor est, sed quod per se ignominia patet, ostendit esse ignominiosum. Quod quidem

Leui. 21. a

& de sacerdotibus in Leuitico legitur: Contaminatione contaminabit eum, haud dubium quin sacerdos, non quo contaminationis auctor sit, sed quo ostendat eum contaminatum, qui prius mundus plurimis uidebatur.

a ¶ Operare terrā tuā: etenim naues &c.) Multum a ceteris interpretibus & ab ipso Hebraico in hoc loco lxx. discordat editio, sed propositū prosequamur. Supra dixerat: Ite Carthaginem, uulgate qui habitatis in insula. Nunc contrarium loquitur, quia naues de Carthagine ultra non ueniunt, operare terram tuam. Profuit enim Tyro naues inter peregrinas, ut cogatur o-

Prov. 12. b

perari terram suam. De qua in Prouerbiis dicitur: Qui operatur terram suam, saturabitur panibus, ut

Psal. 127. a

Qsec. 2. b

F nequaquam de incerto fluctuum naufragorumque discrimine, sed operis sui uiuat frugibus. De quibus in psalmis ad iustum canitur: Labores manuum tuarum manducabis. Scriptum est in Osee, meretricis uias septas esse a domino spinis, ne sequi possit amatores suos: ut hac necessitate compulla, reuertetur ad uirum suum pristinum. Quod & in saeculi rebus frequenter animaduertimus, multos qui per prospera & abundantiam omnium rerum dominum sentire non poterant, intelligere per inopiam, & conuerti ad opera iustitiae, postquam manus eorum non praeuulerit felicitate huius saeculi perfrui: quae prius in mari prouocabat reges, siue iuxta Symmachum conturbabat: quorum cor in manu dei est. Atque utinam & nos maris huius negociatione contempta operemur terram nostram, & nequaquam expectemus naues Carthaginis, siue naues Tyri, quae Carthaginem ire consueuerant: ne subiciamur potestati draconis, qui dominatur in mari: Sed stabilem gradum figamus in terram, imo ad caelestia festinantes, operemur terram nostram, ut hic seminantes, ibi metamus. Manus quoque nostra, quae prius in mundi negotiis uersabatur, & pro potestate ac felicitate etiam reges, id est, sanctos de statu suo poterat commouere: fiat imbecilla in rebus maris, ut fortis sit in opere terrae suae.

Prov. 21. a

Matt. 15. b

Dan. 13. c

b ¶ Dominus sabaoth praecipit de Chanaan perdere &c.) Tyrum & Sidonem esse in terra Chanaan, & supra ostendimus, euangelii testimonium proponentes, in quo legitur Chanaanem mulierem, siue Syrophoenissam exisse de finibus Tyri & Sidonis, & occurrisse domino saluatori. Omnis autem anima quae in saeculi fluctibus posita est, & circumfertur omni uento doctrinae, Chanaan appellanda est, quae interpretatur quasi fluctuatio, siue commotio. Vnde & ad senem adulterum dicitur: Semen Chanaan & non Iuda, spe-

cies decepit te. Prodest igitur Tyro & eius angustiis robur perire Chanaanum, ut dicatur habitatoribus eius quod ultra non ualeant iniurias facere, & opprimere per iniquitatem, uirginem filiam Sidonis. Quicumque a diabolo capitur in diuersorum perturbatio-

c & dehonefata omne quod indyctum est a super terram. **d** Operare terram tuam: etenim naues nequaquam ueniunt de Carthagine: & manus tua nequaquam praeualeat, b quae in mari prouocat reges. **b** Dominus sabaoth praecipit de Chanaan perdere robur eius, & dixit: nequaquam adicietis iniuriam facere, & iniquitatem uirgini filiae Sidonis. **c** Si ieris in Citios, neque tibi erit requies tibi, & si ad terram Chaldaeorum, & ipsa uastata est ab Assyriis. * Fundauit eam Siim, statuerunt propugnacula eius, suscitauerunt turrem eius. paries d eius cecidit. **d** Ululate naues Carthaginis:

ne uitiorum, & traditur in contumelias ignominiae: ut polluat corpus uoluptatibus & turpitudine, iste filius uel filia est Sidonis. Et hoc sciendum quod sabaoth in Hebraico non habetur: & contrario uirgo de Hebraico addita sit. **c** ¶ Si ieris in Citios &c. ipsa uastata est ab Assyriis. Quodq; sequitur de Theodotionis editione, sub asteriscis additum est: Fundauit eam Siim: statuerunt propugnacula eius, suscitauerunt turrem eius, & absque asteriscis iungitur: paries eius cecidit. Citii interpretantur plaga consummata, siue perfecta: Chaldaei in hoc loco, quasi uerba: Assyrii, arguentes: Siim etymologiam, nec nos potuimus inuenire, & ceteri interpretes ipso quo apud Hebraeos scribitur nomine transfuerunt. Dicitur ergo ad Tyrum, quod licet ad Citios ire contendant, & angustiarum suarum plagam uitare, perfectam etiam ibi requiem inuenire non ualeat. Rursumque si cupiat ire ad Chaldaeos, & ubertate eorum ac rerum omnium abundantia perfrui, etiam illos inueniat desolatos, argentibus Assyriis eorum sterilitatem, iuxta quod & Apostolus tradidit peccatores satanae, ut discant non blasphemare, qui traduntur in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat. Chaldaeorum autem Siim fundamenta iecerunt, quos intelligo demones pessimos, qui & propugnacula & turre super bisimas urbis Chaldaee contra scientiam domini suscitauerunt. Sed omnis eorum edificatio in ruinas concidit, sequitur enim, paries eius cecidit: Nisi enim dominus edificauerit domum, inquam laborauerit qui aedificant eam. Saepe uidemus in saeculo quosdam de alio proposito transire ad aliud. Verbi gratia, ut qui militiam male experti sunt, transant ad negotiationem. Rursumque cauidicos bellatorum arma corripere. Mutant industrium, ut mutant infelicitatem, & nihilominus dispensatione dei his, quos salua re dignatur, omnia nitentibus inuenire contraria: ut per inopiam ac miseriam cogantur non in se, sed in creatore suo habere fiduciam.

d ¶ Ululate naues Carthaginis &c.) Naues carthaginis, id est, Tharsis iubentur ululare: nequaquam enim (ut supra) perierunt, siue non ueniunt, sed perierit fortitudo earum. Tharsis enim secundum aliam interpretationem in linguam nostram uertitur consummatio sex, siue letitiae. In sex autem diebus mundum istum factum legitur, qui iuxta traditiones ecclesiasticas postea consummabitur. Omnia ergo bona saeculi huius, & uniuersus mortalium labor, incerto nauium cursui comparatur: quod cito peritura sint, & euncta nauigantium fortitudo soluantur. Vnde & in Sa-

כרים
1174.
כשרים
אשור
ים

H

1. Tim. 1.

Psal. 124.

ושר

in Sa-